Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA

De

OCCUPATIONE ET VENATIONE FERARUM ILLICITA.

Quam

In Florentiſſima Salana

PRÆSIDE

DN. ADRIANO BEIERO,

J.U.D. ET PROFESSORE PUBLICO,

IN AUDITORIO JCTORUM

ad d. Martii Ao. M DC XCI.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

ſubmittit

LUDOVICUS FRIDERICUS Wachs/

Tab. Thuring.

A. & R.

JENÆ,

Exſcribeb. GEORG. HEINR. MÜLLER,

Biblioteca Nazionale V.E. III NAPOLI

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO
FRIEDERICO,

Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Montium,
nec non
Angriæ & Weſtphaliæ

DUCI,

Comiti Provinciali Thuringiæ, Comiti
Limitaneo Miſniæ, Principi-Comiti
Hennebergæ,
Comiti in Marca & Ravensperg,
Dynaſtæ in Ravenſtein
& Tonna.

Principi ac Domino meo Clementiſſimo

primitias haſce meorum ſtudiorum
devotiſſimus conſecro

L. F. W.

J. J.

PARS PRIMA

De

Occupatione abſolutè illicita.

THESIS I.

QUi almam matrem NATURAM, creaturarum ſuarum nobilisſimam, HOMINEM, obſervat procreaſſe nudam, ac modò non rerum omnium indigam: deſinet mirari, animadversò, quòd non hinc modò fructûs omnes, tanquam res ejus ſuſtentationi neceſſarias, gratiâ hominis jam ante ipſum produxerit, *§. in pecudum 37. Inſt. de R. D.* eosque eidem tanquàm objectum appetendi propoſuerit: Iſthinc autem affectum concupiſcentivum omnia habendi, congeneraverit indefinitum, ſic, ut termini atque leges ponendæ fuerint. *§. Juris præcepta. 3. Inſt. d. J. & J.* Verùm etiam MODOS ADQVIRENDI plures ſuppeditaverit, atque hominem tum his utendi, tum alios excogitandi permiſerit eſſe idoneum.

THES. II.

Ex pluribus illis acquirendi modis potisſimus, atque inſtituto Naturæ quàm maximè conveniens eſt,

 quæ

quæ in mero facto conſiſtit, OCCUPATIO, quâ, quod Natura in commune propoſuit, ad ſe ipſum in individuo applicat quisque. Manus nimirum porrigens, requirit manum acceptantem; ſicut in donatione ſimplici ſeu abſoluta, quæ ipſa modus acquirendi naturalis eſt, *§. per traditionem 40. J. de R. D.* obſervamus: In eo namque cui donatur, requiritur ut donationem ipſe vel alius ejus nomine acceptet. *l. abſenti 10. l. hoc jure 19. §. non poteſt 2. ff. l. ſi quis 26. C. de Donat. l. in omnibus. 55. ff. de O. & A.* Idem deinde in negotiis civilibus acceptum, ut manus v. gr. Teſtatoris, per multas ſolennitates atque modos hereditatem porrigens, *rubr. J. de Teſtam. ord.* exigat manum heredis amplectentem *rubr. J. de hered. qual. & differ.*

THES. III.

Et quidem aliqua ſic obviam fiunt nobis ex improviſo, ut nullâ nec induſtriâ indagari, nec labore ullo capi opus ſit, ſed modò tolli velint; dum Fatum quaſi Rem atque Perſonam, tanquàm objectum cum ſubjecto præter intentionem conjungit: quod INVENTIONEM dicimus. *§. item lapilli 19. J. de R. D.* daß einem ein unvermuthet Glück ufgeſtoſſen. Cujus rationem Regius Pſaltes reddit *Pſal. CXXVI. v 3. cum dederit dilectis ſuis ſomnum.* Denn ſeinen Freunden giebt ers ſchlaffend. Alia verò aut è fuga retrahimus, aut reſiſtentia quoque ſubjugamus: ut accidit ſtatu quidem Naturæ ordinariô in Brutis: vel etiam in Hominibus ſtatum Naturæ turbantibus ad officium reducendis.

THES. IV.

Brutorum porro quædam imbellia ſunt & mage ſtupida, quàm ut ſuæ ſufficiant ſeu curæ ſeu defenſioni, ſed ab homine & foveri & curari geſtiunt, atque ob id includi ſe patiuntur; tantum abeſt præſentiam hominis

ut

ut fugiant, unde & MANSVETA dicuntur: quare cujus ſemel propria evaſerunt nativitate, an quo alio titulô, ejus & permanent §. *gallinarum, 16. de J. A. R. D.* Alia contrà libertatis ſuæ tenacia magis, expaveſcunt hominem, deſerta quærunt, ſibique relicta, vitam ducunt non aſperiorem modò, verùm etiam periculo occupationis expoſitam; Quod enim antè nullius eſt, cedit occupanti *dict. §. Feræ igitur 12.*

Thes. V.

Sed de illicita manſvetorum occupatione in præſentiarum nobis non erit ſermo: Cæteræ dicuntur FERÆ, ſeu quòd naturali impetu ſuô ferantur, ſeu quòd è conſpectu hominum ſe auferant in ſolitudines, qvum præſentiam eorum ferre nequeant. Has Juſtinianus Imperator ab elemento, quô quæque præ altero delectantur ac victitant, diſpeſcit in eas quæ in Mari, Cœlo & Terra naſcuntur. COELUM autem pro Aëre vel in ſacris ponitur, atque ſic à *Matth. VI. 26. Reſpicite volatilia cœli*, uſurpatur: quod B. Lutherus equidem vertit: Sehet die Vögel unter dem Himmel an / quæ forſan & ſententia Evangeliſtæ fuit: Enim verò, quæſtio nobis non de mente atque intentione loquentis, ſed de genere ſermonis eſt: Textus græcus utique habet: *ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ ὀυρανοῦ.*

Thes. VI.

Et Imperium quidem tempore creationis obtigit homini univerſale, ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra. *Gen. I. 26.* ſic, ut exercere iſtud in omnis generis ea posſit. Misſis tamen in præſens cæteris, de Quadrupedibus quæ terrâ naſcuntur & feris quidem agemus: quarum occupatio ſpeciatim dicitur

VENATIO. Quod quidem vocabulum aliàs vox generis eſt, ut comprehendat & Aucupium & Piſcationem. *arg. §. 12. J. R. D. Sutbolt. Diſp. IV. aph. 24.* Non ita reliqua: Neque enim ſeu Piſcatio ſeu Aucupium Venationem comprehendit; quod velle quidem videtur Weſembecius, quando parat. *ff. de A. R. D. n. 7. pr.* ait: Venationem, piſcationem & aucupium in hoc tractatu pro uno eodemque Jure poni. Enim verò. Non, ut Venatio & generis & ſpeciei nomen eſt, ſic & reliqua: Imò utraque Venationi uſu communi contradiſtingvuntur.

THES. VII.

Venationem Gloſſa canonica & quidam Doctores faciunt triplicem: Oppresſivam, Arenariam, & Saltuoſam *Frider. Pruckm. de Regal. cap. III. n. 1* Prima, qua homines cæteroquin ſui juris, trahuntur ſub alienum jugum inviti; ut legimus de Nimrodo, Venatoris appellationem inde agnatum ipſi fuiſſe, quin proverbio: Quaſi Nimrod, robuſtus Venator coram Domino: cauſam & originem dediſſe. *Geneſ. X. 8. ſeqq. Conf. Dan. Otto de Jur. publ. cap. I. pag. 7.* Quæ vocis acceptio, ut Metaphorica, ita videri poſſet impertinens: Quia tamen ex venatione propriè dicta, à feris ad homines protenſa, originem ſumſit, non adeò incongruè Juſtitia ejus tangitur.

THES. VIII.

Et quidem ſtatus cohabitionis per civitates, Hominis naturæ adeò non eſt contrarius, ut ipſi conducat potius propter varias indigentias, quibus in ſolitudine mederi nequiret: Et imò ſocialitatem amat, ſuâque naturâ fertur ad converſationem; ut non malè credatur, Etiamſi in ſtatu integritatis permanſerit, civitates tamen & regna fuiſſe futura: Civitas autem nihil aliud eſt, quàm multitudo ordinata Imperantium & parentium.

At

At ſunt hæc correlata, quorum alterum abſque altero eſſe non poteſt. Nihil ergo eſt hactenus, quod in venatione hominum Nimrodiana taxetur.

THES. IX.

Quia tamen libertatem naturalem ſuâ ſponte deponere, vel etiam in manûs alterius reſignare, non eſt res promiſcua; Neutiquam id ſine contradictione, mutua lucta & violenta ſuppreſſione innocentis proximi hoc contigerit; unde ſacra Scriptura nusquam aliunde Nimrodo, quàm à robore & potentia encomium dare volnit: Ipſe cepit eſſe potens in terra, inquiens, & erat robuſtus venator coram Domino. Juſtenè fecerit, haud commeminit. Sanè Eſau Venator erat, quia peccator erat, inquit Hieronymus *c. 11. Diſt. LXXXVI.*

THES. X.

Secunda Venationis ſpecies eſt, quam Arenariam dicunt, ab illis qui cum beſtiis in arena, loco à ſparſa arena ſic dicto, depugnabant: Unde ipſimet Arenarii, *l. 38. pr. ff. de Operis Libert.* ab aliis Beſtiarii vocabantur. Niſi hoc fuit diſcriminis, quòd hi poſteriores pœnæ causâ beſtiis fuerint objecti. *l. 5. pr. ff. ad L. Pomp. de Parric.* ad ſtipitem alligati. Priores, virtutis aut roboris oſtentandi gratiâ ſponte ſe ad hoc dederint. *l. 3. §. 5. ff. de Teſtib.* Unde & intromiſſos legitur *l. 1. §. 1. de Ædil. Ed. & l. 4. verſ. item his. ff. de Accuſat.*

THES. XI.

Venatores autem appellatos fuiſſe, ex Jure equidem Juſtinianico haud probaveris. Sed Auguſtinus quando *in c. 8. & 9. diſt. LXXXVI.* peccare ſcribit qui venatoribus donant: hos ipſos, non alios intelligere videtur; quoniam (1) ſpectacula præbere innuit, (2) cum Hiſtrionibus & Aurigis Circenſium ludorum, qui & Agitatores

res

res dicuntur; quales qui fuerint *ex l. 4. pr. ff. de his qui not. inf. ibique Gothofredus mihi lit e.* videre eſt, conjungit; ac (3) eorum artem vocat iniquiſſimam: quæ omnia in Venationem quam dicunt ſaltuoſam, non quadrant; Nam Arenaria infamat ſic, ut nec accuſare alios *l. 4. ff. de Accuſ.* neque teſtes eſſe queant. *l. 21. §. 2. ff. de Teſtib.* neque poſtulare *l. 1. §. 6. verſ. & qui operas ff. de Poſtul. l. 2. in fin. ff. de his qui not. infam.*

THES. XII.

Sed duæ hæ ſpecies non faciunt ad præſens inſtitutum; quia non per proprietatem ſed analogiam aut metaphoram hoc nomen acceperunt. Ac prior quidem ratione objecti & ſcopi: dum homines ſectatur, imperium politicum in eos exercendi gratiâ; non beluas ſeu nocivas abolendi, frugibus & hominibus ſecuritatem procurandi; nec feras ſimpliciter, victum & amictum inde quærendi causâ. Poſterior autem ratione modi ac finis: quoniam qui beſtiis objiciuntur, non venandi eas, ſed pœnam ſuſtinendi, ab iisque dilaniandi ergò, id patiuntur. Cœteri Arenarii pariter non intendunt acquiſitionem œconomicam, ſed virium oſtentationem; nec per inſidias ſolùm agunt, ſed apertô Marte congrediuntur. Non agunt ut domini, vi primævæ creationis; ſed ut æquales.

THES. XIII.

Succedit tertia ſpecies, SALTUOSA à ſaltibus, in quos feræ ſe recipiunt, atque ubi venationes regulater inſtituuntur, ſic dicta: Nomine anguſtiori quàm res ipſa patitur. Quoniam ſic (1) ad certam ſpeciem, quadrupedes, & quæ in terra naſcuntur animalium occupationem reſtringitur, excluſis Aucupiô & Piſcatione. (2) ad certum locum, Nemora & ſylvas; cùm tamen & extra

tra illas, tam caſu atque fortuitò, quàm venationibus inſtitutis occupentur. Verum eſt tamen, hanc ipſam ad noſtrum inſtitutum pertinere: dùm quæſtio eſt: Ecquid ea occupatio ſit ex genere permiſſorum.

THES. XIV.

Age à vocabulo incipiamus. Eſt autem occupatio perinde ac Venatio, Nomen verbale, (à verbis Venor, Occupo) derivatum, atque in IO flexum. De cujus generis nominibus aliunde conſtat, quòd licèt Actum ipſum verbi unde derivantur, ſignificent, non ideò tamen minus id quod ex negotio reſultat, Jus denotent. Sicut vocabula Auditio, Viſio, Scriptio, Itio, in naturalibus: Obligatio, Exceptio, Jdictio, Appellatio, Exſecutio, in integrum Reſtitutio & ſim. in moralibus, tàm Habitum quàm Statum; tàm Facultatem ſeu potentiam, quàm Actum: & Affectum & Effectum; Jus & ejus Exercitium, denotent.

THES. XV.

Et Venatio igitur atque Occupatio, tàm Facultatem internam, quàm Actum externum denotant. Ne tamen de utroque ſimul permiſtim agendo confuſionem cauſemur, unum poſt alterum videbimus; à Facultate ſeu potentia exorſi. Sunt autem Potentiæ aut naturales aut morales. Illæ prioris generis, cùm Natura hominem ex corpore & anima rationali conſtare voluerit, duum quoque generum præſupponunt requiſita.

THES. XVI.

Ex parte quidem animæ, PRIMÒ omnium Appetitum concupiſcentivum ſ. inclinationem, tanquam cœterarum potentiarum fundamentum. Nam, qui naturâ non fertur ad hoc ut ſectetur, is vires nunquàm iſthuc intendet. DEINDE Sagacitatem quandam eas

indagandi, atque ſtationes earundem explorandi, & circumveniendi; dum plerumque aut velocitate aut robore hominem ſuperant. DENIque & animi fortitudinem, creaturas illas partim feroces atque immanes aggrediendi: qui enim expaveſcit eas, tantum abeſt, occupaturum eas, ut fugiat magis.

THES. XVII.

Ex parte Corporis, duo potiſſimùm exigi videntur, Robur & Agilitas, & utriusque fundamentum Sanitas. Quoniam enim feras & nocturnô & brumali tempore inſequi opus eſt, illô quidem ut improviſæ circumveniantur; hôc verò, ut veſtigia nivibus impreſſa cognoſcas; adeoque Venatorem corpore benè diſpoſitô inſtructum eſſe oportet: Sequitur, neque ægrotum neque membris mutilum ad occupationem ferarum ſatis eſſe idoneum.

THES. XVIII.

Sunt prætereà & extra nos, quæ ad actûs hujus exercitium requiruntur, ut Retia, diverſi generis arma, & varius apparatus venatorius. Nec non pecunia, qua neceſſitatem noſtram comparamus. Sed priora non tam qualitates hominis, quàm Inſtrumenta ſunt Artificis. Pecunia neutrum horum, ſed cauſa ſine qua non negotium commodè atque plenè expediri non poteſt.

THES. XIX.

Hiſce præſidiis inſtructus, ſi quis ad actum acceſſerit, de illius moralitate quæritur: Quàm licitè fiat? Et quidem ad JUS DIVINUM quod pertinet, Primæva ea eſt inſtitutio: *Dominamini animalibus terræ & piſcibus maris Gen. I. 26. 28. 30. IX. 2. Levit. XVII. 13. Pſal. IIX. 8. 1. Cor. XV.* 27. Tali bullâ qui munitus eſt, ſecurus egredietur à facie Domini, ut non increpet eum omnis qui inveniſſet eum

um venantem *Conf. Jus Sax. provinc. Lib. II. cap. 61. pr.* Idem quantum ad JUS NATURÆ, nam Deus eſt Natura naturans: ubi poſitis requiſitis *th. 16. & 17.* formatis, nil impedit, quò minus poſita in comune prehendere poſſit quilibet, qui portionem capit de communitate: Dum alius nondum præoccupaverit. At quisque qui portionem capit de communitate, ſumit tanquam ſuam. Nam quilibet homo in Republica Naturæ, membrum Reipublicæ eſt, æquè dignus atque [alius quivis]: Nec datur ibi Superior vel Inferior qui prohibere valeat; Idem aſſerit *Philoſophus I. Pol. VIII.* Non obſtante, dari quosdam naturâ ſervos. Quoniam naturalis illa imbecillitas magis potentiam exequendi debilitat, quàm jus & facultatem aufert.

THES. XX.

Neque JUS GENTIUM olim contrarium tenus hac ſanxit, ſed libera cuique relicta fuit ferarum occupatio. Per hoc, quòd iſtud ſolum Ratio ſuggeſſit, Ne quid ſubtrahamus alteri. Furtum lege naturali prohibitum *§. 1. J. de obl. quæ ex del. naſc.* At Feræ beſtiæ nullius in bonis ſunt, ſed liberè vagantur. E. cedunt occupanti. *§. 12. J. de R. D.* Occupatio igitur talis in facto mage quàm in Jure ſubſiſtit, ac neuter alterum prohibere poteſt: quoniam Jus demum ex facto oritur, & quidem non tàm quantum ad occupationem, quàm rei occupatæ proprietatem ac detentionem.

THES. XXI.

Neque obſtat Prohibitio, de qua dictus *§. 12. J. de R. D.* loquitur: Agens quippe de ſolo introitu in fundum alienum; non de ipſa occupatione dominiique acquiſitione. Ampliamus igitur: Occupationem ferarum licere quoque in fundo alieno *l. 3. §. 1. ff. de A. R. D.* Per rationem: quòd Libertas in qua verſantur feræ, ſit Juris na-

turalis. Reſtrictio autem, quam ſupervenire poſſe haud imus in inficias, non pendet ab illo $\pi o \tilde{v}$, ſeu localitate, quorſum beſtiæ ſubinde ſe recipiunt; Alioquin tot dominos poſſent admittere, quot eorum prædia vel unicâ ſolent peragrare horâ, tot quoque rurſus ſuô dominiô deſtituere. Secuturumque id abſurdi, reſignatam eſſe Dominii diſtributionem in pedes brutorum.

THES. XXII.

Neque facit in contrarium (1) quòd fera capta tàm diu cenſeatur in detentoris eſſe dominio, quàm diu duret ejus detentio; quam citò ſe ſubtraxit & in libertatem naturalem recepit, Dominium quoque deſiit: & ſic in feræ videatur eſſe poteſtate, Dominum facere quem velit. Nam planè contrarium hîc evenit, Feram nihil diſtribuere; ſed cùm capitur, nullâ ſuâ voluntate aut factô, ſed capientis occupatione dominium in eum transfertur. Cùm autem manûs illius evaſit, nullum alium, neque ſe ipſam facit Dominam, ſed ſolùm in libertatem naturalem ſe recipit.

THES. XXIII.

Non obſtat (2) quòd Dominium conſiſtat in facultate diſponendi de re ſua. E. & de omnibus ejus partibus atque contentis; Nec non in jure prohibendi omnes alios, ſimile nobiſcum auſuros. Quòd ſi ergo Dominium operetur in contenta, continebit & quæ ibi verſantur, licèt ad tempus ſaltem. Tempus enim non eſt modus tollendarum obligationum aut dominii negandi. Cùm & qui unico momentô Dominus fuit, æquè plenè talis fuerit atque alius per integrum ſeculum. Aliud eſt rei duratio, aliud gradus. Sed Reſp. diſtingvendo inter contenta fixa atque neceſſaria, & libera atque arbitraria: Beſtiæ quidem ſunt in territorio, ſed non de territorio.

THES.

Thes. XXIV.

Stante hôc ſtatu naturali, duum generum Occupatores exiſtebant: Alii qui ſeu pro arbitrio & animi cauſâ, ſeu pro neceſſitate, ſeu etiam pro re nata feras occupabant; cæteroquin diſtinctum vitæ genus exercebant. Alii occupationi ſe totos dedebant, ac venationem vitæ tolerandæ genus conſtituebant; unde & Venatores dicebantur. Quorum vel in Jure Juſtinianeo fit mentio; Quando *in l. 6. ff. de Jur. Immun.* inter Artifices: & *in l. 6. C. de Excuſ. mun.* X. 47. inter candidatos immunitatum ſed repulſam ferentes, recenſentur.

Thes. XXV.

Iſti Venatores, cùm veroſimiliter tanta non poſſidebant latifundia, ut ex his ſolis quas in ſuis occupabant, vitam traducere poſſent feris, ſed aliorum fundos viſitare cogebantur; quibus ut aliter fieri non poteſt, moleſti exiſtebant, multasq; paſſi fuerunt contradictiones: Iſti contrà hac ipſâ profeſſione ſuâ ferociores effecti, armis aſſueti, non modò nihil iſta curabant, quod facti tenus hac fuerat, pro jure exercebant, ac poſtmodùm ſibi ipſis jus dicere, reſiſtentes ſubplantare, ac vel occidendo prætenſum jus tueri, ſenſim latrocinari, ac non tàm in feras quàm in homines poſt hac prædas agere ceperunt.

Thes. XXVI.

Undeplura in Remp. inconvenientia redundarunt, querelæ ad Magiſtratûs delatæ, ac de medela mali cogitandum fuit. Quarum non alia magis expediens, quàm ut Principes ſubditos in univerſum omnes ab omni ferarum cujuscunque generis occupatione, etiam in fundis ipſorum excluderent, easque occupandi facultatem ſuam facerent. Ita Feræ ex rebus communibus evaſerunt

 publi-

publicæ, vel imò de dominio Principis. Quod non uni huic, ſed aliis quoque negociorum generibus accidit, ut jus naturale reſtringetur: ut in Fluminibus & aliis rebus videre eſt, *Conf. Dn. Struv. S. F. cap. VI. aph. V. n. 3. p. 186.*

THES. XXVII.

Nec injuriâ. Nam licèt Jus naturale dicatur immutabile *§. 11. J. de J. N. G. & Civ. §. fin. J. de legit. agn. tut.* Jus tamen Civile nunquàm iſthûc adigi ſe paſſum eſt, ut in totum ei ſerviret, ſed liberam potius manum retinuit, pro re nata & Reipubl. ſalute exigente aliquid addendi vel retrahendi. *l. 6. ff. de J. & J.* Non quidem quoad moralia, ſed quoad indifferentia. Diſtingvendum enim inter ea, quæ ſunt juris naturalis, Poſitivè & Permiſſivè. Permiſit ſanè Naturalis ratio feras hominem occupare, cæteris paribus, dum id ne fiat cum alterius moleſtia, ne dum injuria *conf. Grot. de J. B. & P. L. II. c. 2. n. 5.*

THES. XXVIII.

Occupatio hæc, ubi ſemel Juris evaſit civilis, novum planè ſtatum induit, ac de Regalibus eſſe cepit: novum imò nomen ſortita, ac non amplius Venatio ſimpliciter ſed Jus venandi, Bannum item ferinum, nomine Priſcis inauditô, Germanicè die Wildbahn / rectius Wildbann vel Wildbanns oder Jagts-Gerechtigkeit appellari cepit. Speciatim Status Imperii Germanici jure ſuperioritatis exercent.

THES. XXIX.

Et cùm feræ ſtationem ordinariam in Sylvis teneant, unde quidem excurſiones nocturnas ad arva & ſegetes faciunt, cum die tamen rurſus in ſylvas ſe recipiunt: Sequitur neceſſum habuiſſe Principes, poſt alias cauſas, vel ferarum quoque gratiâ, curam ſuam ad ſylvarum

varum ſalutem & perennitatem extendere; ut ſcil. nec ligna architecturæ & culinæ, in gratiam hominis; nec receptus feris unquàm deficiat. Dicitur hoc Jus Foreſtale, Forſtrecht. Quô de Noachus Meurerus integrum ſcripſit Tractatum.

Thes. XXX.

Utrumque horum, neutiquàm acquieſcit in dominio privato, quô de feris aut lignis Principes non amplius forſan, quàm ut pro arbitrio aut ſuæ rei exigentia diſponant, inſtar aliûs Patrisfam. de rebus privatis; aliosve idem juxta ſe auſuros ſimpliciter prohibeant: non adquieſcentes autem in Jus vocent, & cum iis tanquàm privati agant. Sed, ipſi jus dicunt, & ad ſupremam usque Jdictionem, appellationisque receptionem, quin legum quoque lationem & ſupplicationum recipiendarum cacumen elevarunt. Atque inde ſunt illæ Principum Germaniæ Conſtitutiones atque Ordinationes Foreſtales ac Venatoriæ Jagt- und Forſt-Ordnungen.

Thes. XXXI.

Poſthæc, occupatio ferarum cepit eſſe de genere prohibitorum; ita ut ſit actus undiquaque illicitus: Cùm ratione ſubjecti, ut neque Nobili neque Plebejo; & Clerico non magis quàm Laico ſit licita. Tum ratione objecti, ut nullius generis feras, nigricantes aut rubricantes, roth oder ſchwartz Wildpret occupare liceat. Tum ratione formæ ſeu modi, atque inſtrumenti, Retibus, canibus (hetzen) an armis (pürſchen) clam an palam fiat; Tum ratione loci, in ſylva an ruri, in ſuo an alieno fiat, *Joh. Faber. ad §. flumina 2.* J. *de R. D. Menoch. conſ. 343. n. 44. Natta conſ. 512. n. 3.* Tum denique ratione temporis, Hybernum an vernale fuerit, noctu an de die fiat. Pœnis in contravenientes ſancitis.

Thes. XXXII.

Quoniam tamen Virtutis & præmia eſſe oportet & incitamenta; Non minus gratioſos tenus hac Principes erga ſubditos, ſeu meritorum ſeu ſangvinis intuitu ſe exhibuerunt, ac paſſim tam circa Perſonas quàm feras earumque occupandarum modos & adjuncta, de pristina libertate naturali aliquid indulſerunt, ac reſtrictionem laxarunt. Sic, ut inter licitum nunc & illicitum diſcrimen exiſtat. Dum igitur docere quis poteſt Conceſſionem, actûs ejus occupatorii non erunt illiciti. Fiunt autem conceſſiones atque indulta pro re nata, modò ſpeciali Privilegiô, modò Inveſtiturâ. Utrobique tamen regulariter ad certas ferarum ſpecies, occupandi modos & adjuncta reſtrictis, reſervatôque revocandi ex cauſis arbitriô.

Thes. XXXIII.

Si quis igitur hodie citra fundamentum feras occupare non ceſſet, is adverſus legem civilem peccat; & pro actu illo juſtificando, perperam ad jus iſtud naturale obſoletum provocat. Sed minimùm odioſum nomen Feripetæ, eines Wildſchützens incurrit: quem terminum inveneris in Fürſtl. Gotha. Forſt- und Waldordnung andern Hauptpunct *§. 4. p. 300.* Heimliche Haſenſchützen. *Edicto Elect. Sax.* Joh. *Georg. I. de MDCXXIX. 8. April.* §. Gleichen Geſtalt. *Corp.* Jur. *Sax. vol. I. fol. mihi 164.* alicubi ſimpliciter Wildener. *vid. Andr. Knichen. de Sax. non provoc.* Jur. *cap. V. n. 249.* potiſſimùm in Ducatu Würtenberg.

Thes. XXXIV.

Sunt autem admiſsâ, ut diximus gratiâ, Delinquentes duum generum: & ex parte quidem Privilegiatorum ſecundùm quid, & quatenus ſeu ſpecies in privilegiô exceptas, ſeu modum aut inſtrumentum occupandi,

ſeu

ſeu locum denique atque tempus prohibitum non obſervant. Ex parte cœterorum verò abſolutè: Nam cui planè nihil conceſſum, is in omni peccat; unusquisque actus quavis ratione ad occupandum tendens, eſt peccaminoſus, conſequenter punibilis. Ut tamen ſciamus, quô genere graduque pænæ quisque ſit afficiendus, videnda prius natura delicti.

THES. XXXV.

Hoc inventū non adeò erit difficile, ſi ex *th. 26.* repetamus, incepiſſe feras in qualicunque Principum eſſe dominio; earumque occupationem Privatis deſiiſſe ex genere permiſſorum eſſe *th. 31.* Si ergo ex genere prohibitorum eſt, aut concernit partis læſæ Famam & exiſtimationem, & erit Injuriæ ſpecies. Jam verò dum venatio juris ad huc privati erat, ſi quis adverſus prohibitionem Domini fundi ingreſſus feram cepiſſet, Injuriarum poterat conveniri. *l. 13. §. fin. ff. de Injur.* Non malè ergo Principes jure retorſionis utentur. *arg. t. t. ff. quod quisque jur. in alt.*

THES. XXXVI.

Enim verò, ſic nihilò melioris conditionis erunt quàm quisque privatorum; dum actionibus atque proceſſibus, & quidē cum ſuiſmet ſubditis involvuntur; qui non ceſſaverint de judice in ſua cauſa ſuſpecto excipere, adeoque ad Superiorem provocare. Melius foret igitur, licere Principibus Feripetas ex officio tanquàm Magiſtratûs, & ita ſuô jure punire, per *l. un. ff. ſi quis Jus dic. non obtemp.* At ne ſic juſtam habituri erant ſatisfactionem, ex parte ſolùm contemtæ prohibitionis & autoritatis: De damno autem oporteret ſeorſim agere. De alia igitur ratione videndum.

THES. XXXVII.

Jam verò, nec VITAM Principum concernit hæc occupatio, ut ad *L. Corn. de Siccariis* referas. Niſi ponamus, etiam Principi Venatores hoſce inſidiatos, aut apertâ vi obluctatos fuiſſe. Quô caſû tamen non occupatio, ſed diſtinctum delictorum genus in conſiderationem veniret. Reſtat igitur, ad BONA FORTUNÆ pertinere: quorum tamen nec corruptio ſeu deterioratio Lege forſan Aquiliâ vindicanda, ſed ipſa totius corporis ablatio accidit. Aut igitur clam facta, ſineque vi, & Furti genus erit; aut cum armis, & in legem Juliam de vi, aut Edictum Prætoris de vi bonorum raptorum incidet.

THES. XXXVIII.

Prius iſtud Electori Saxoniæ placuit, Reſcriptô de *An. MDCXIII. d. 9. Julii* §. Hierneben wollen wir. Ubi ex ſertim Furto comparat ejusmodi occupationem. verb. gleich andern Diebſtahl geachtet/ und darauff die verwürckte Straffe erkennet werden. *Corp. Jur. Sax. vol. 1. fol. mihi 162.* Nec deſunt aliorum Principum Conſtitutiones: *Chriſtianus Marchio Brandenb. Edictô de Ao. MDCX.* die Strafe der Wildpret-Schützen belangend §. Wenn wir aber / Feripetas diebiſche/ räuberiſche und mörderiſche Buben vocat ꝛc. Naſſau-Catzenelnbogiſche Policey-Ordnung *de Ao. MDCXV. art. 89.* ibi: Wollen wir in Krafft dieſer Ordnung gegen Ihnen/ und einen ieden/ ſo man in Erfahrung bringen wird/ anderer geſtalten nicht als gegen einem andern Dieb verfahren.

THES. XXXIX.

Poſitô certô delicti genere, de pœna negotium non erit adeò difficile. Nim. de Jure Civili Furtum penè extraordinarium habetur delictum. *l. f. ff. de furt.* Quare ad circumſtantias erit attendendum. Communiter

niter Dd. diſtingvunt: Utrum edictô Principis prohibitoriô nulla pœna expreſsè ſit addita: Ut tum pro ratione circumſtantiarum vel pecuniaria debet eſſe pœna, vel relegatio vel fuſtigatio, aliave ſimilis. v.g. carcer, armorum interdictio. *Mobr. P.1. de Ven. Speckb. Cent. I. Qv. 98. n. 2. & 15. Bocerus Claſſ. V. Diſp. 3. th. 31. & tract. de Regal. c. 1. n. 71.*

THES. XL.

An verò certa definita ſit pœna; Et hæc irroganda quidem, dum tamen ſi capitalis ſit, nec primo ſtatim actui, nec alterâ vice iterato dictetur; ſed quævis alia non capitalis. Quæ ſententia eſt Moraliſtarum, quando examinant Juſtitiam pœnæ capitalis Furto dictatæ, *Scoti, in 4. Diſp. XV. Q. 3. Alexandri Alenſis in 3 part. Qv. IIIL. membr. 4. art. 3.* quem laudat *Ludov. Molina de J. & J. part. 3. Tract. II. qv. 95. fol. 85. ſqq. Hugon. Grotii de J.B. & P. lib. 2. c. I. n. 14. II. 5. & IIX. 2.* nec non Theologorum, maximè verò Reformatorum Zepperi, Ameſii: quorum fundamenta compendiô refert è noſtratibus Theologis *Caſp. Eraſm. Brochmand. Syſtem. Theol. Tom. II. Loc. de Lege cap. 14. ſect. 2. Qv. 1. fol. 54.*

THES XLI.

Eam ſecuti ſunt è JCtis *Farinacius lib. I. var. Qq. & opin. crim. Tit. 3. Qv. XXIII. n. 2. Harprecht ad §. fere 12. J. de R. D.* & è Saxonicis præprimis Wittebergenſes; cùm ſeparatim tùm conjunctim. Weſenbecius, quando in notis ad Schneidevv. ſuper *§. 12. de R. D.* dixerat: Nunc graviores (quàm pecuniariæ ſc.) pœnæ in Fures ferarum ſunt conſtitutæ: pergit: Quod an fieri poſſit? diſputant *Decius, Jaſon, Corneus, Tiraquellus,* & quos laudat plures, locis ex eorum ſcriptis nominatis. Idem in *Paratit. ff. de A. R. D. n. 7. circ. fin.* quando de Effectu & Pœna agit, apertè in eam it ſententiam; additis rationibus.

THES. XLII.

Quoque Conjunctim. Ita enim *Weſenbecius, Thomingius, Schneidewinus in Deciſ. part. 4. Qv.* IIX. *n.* 33. veritos ſe profitentur, Mandati ſeveritatem ſequi: Wann eine Obrigkeit bey Straff des Lebens das Wildpreth zu ſchieſſen verbothen hätte / ſo haben wir doch ein groß Bedencken / ſolchen ernſtlichen Mandaten zu folgen / ſondern ſind bey der willkührlichen Straffe verblieben. Quam opinionem prolixè tuetur *Everh. Speckh. Cent.* I. *Qv.* IIC. *per tot.* In qua Canoniſtas eſſe Weſenbecius citatô ad Schneidevvinum loco, ait; ejusque originem ad Gloſſam refert *Molina d. l. fol.* 85.

THES. XLIII.

Rationes potiſſimæ ſunt (1) quòd fas non ſit, quenquam ad mortem damnare, niſi propter delicta quæ lex per Moyſen data morte punivit. Quæ Scoti ſententia valdè probabilis dicitur *Grotio L. 2. c. 1. n. 14.* additô duntaxat: Aut quæ his ſunt paria rectâ æſtimatione. Furto autem comparata eſt ferarum occupatio. (2) Quòd propter feram capite puniri hominem, nulla ſit pænæ ad delictum analogia & proportio, *Weſemb. Paratit. ff. de A. R. D. n. 7. in f.* Neque verò Venationes ad Regalia pertineant. *Tiraquell. de Nobilit. cap.* XXXVII. *n.* 50. ut dicas, acerbius aliquid ob nobilitatem Juris invaſi licere.

THES. XLIV.

Bernh. Sutholt, quando rem hanc in theſi & hypotheſi conſideravit, *Diſp. 16. aph. 37. 38. 39.* concludit, pœnam Carolinam P. H. O. *art. 157.* eſſe quidem juſtiſſimam, præduram tamen ac rigidam, neque aliis Principibus facilè imitandam multo minùs Nobilibus: *Carpz. Pr. Crim. P.* II. *Qv. 84. n. 48.* Philippus II. Hiſpaniarum Rex, quando ſeculi ſuperioris Annô nonageſimô octavô

ad

ad Fanum S. Laurentii in extremis agebat, vinctos ob venationes, ſolvi juſſit, & damnatis ad mortem vitæ gratiam fecit: ut refert *Thuanus Lib. CXX. fol. mihi. 129.*

THES. XLV.

Sanè animadverſiones, quâ Feripetam aut cuto cervina indutum canibus objicias lacerandum; quod A o. 1557. ArchiEpiſcopus Salisburgenſis feciſſe, perhibetur Cyriaco Spangenbergio; Bericht / wofern das Jagen-Recht, *rubr.* von gottloſen Jagẽ/ *Conſ.* VII. *circ. fin. fol.* 30. aut ferreis catenis cervo affixum, in ſylvas circumferendũ imponas; cujus exemplum refertur *à Dn. Fritſchio in Tr. de Principe peccante concluſ.* 38. Daß An. 1666. menſe Majô ein Hirſch in der Wetterau geſehen worden / der in der Saat geweidet / auff dem ein Mann mit Ketten verwahret / geſeſſen / gantz blutig / mit zeriſſenen Kleidern / und zufleiſchtem Leibe / der ohne unterlaß geruffen: Ach! nehmet mir doch mein Leben / daß ich der unerträglichen Straffe / die ich nun in den dritten Tag ausgeſtanden / abkommen möge: Tyrannicas mage actiones quàm juſtas pœnas exiſtimaverim. Interim poſitis cautelis, quas Noſtrates, tàm Theologi, Chemnitius, Gerhardus, Meiſnerus, laudati Brochmandi d. l. Balduinus *Caſ. Conſc.* quàm JCti ſuppeditant, ac præprimis *Carpzov. Prax. Crim. P. II, Qv.* LXXVII. *per tot.* latiùs proſequitur: & rectiſſimè & tutiſſimè retineri poteſt capitalis pœna, tàm furib' quàm Feripetis irroganda.

PARS II.
De Venatione illicita.

THES. I.

ET hæc quidem ad eos qui ab occupatione ferarum omninò excluſi ſunt, ſufficiant. Altera illa, quam

 ſubditis

ſubditis quaſi poſtliminiò redditam diximus, tamen ſuô modô evadit illicita. Et (1) quidem ex Perſona, tanquam ſubjecto; idque rurſus variè. Sic de Jure Canon. Clerico Venatio non eſt licita; *diſt. XXXIV. c. 1.* Quod *ſequenti cap. 2.* ad Presbyterum & Diaconum ita extenditur, ut nec canes ad venandum aut accipitres habere liceat. Imò cap. 8. ibid. omnibus ſervis DEI venationes & ſylvaticas vagationes cum canibus, & ut accipitres aut falcones habeant, interdicit. Ampliatur ſecundum quosdam: Etiamſi pauper ſit Clericus: Quia poteſt aliter victum quærere, forſan artificiolô: *c. 3. diſt. 91.* Nam faciat ciſtas & calathos & retia: *c. 33. verſ. vel fiſcellam. diſt. V. de Conſecr.*

THES. II.

Pariter Conſtitutiones Provinciales Statuum, vel ipſos Principum Officiales rei venatoriæ præfectos, in diſtrictibus ſibi commiſſis, tanquam officii ratione venationes exercere, prohibent. Nam ſi prædia posſideant propria, quibus venandi jus adhæret, id ſuô nomine ac jure exercebunt: Facit huc. Fürſtl. Sachſen Gothaiſche Forſt- und Wald- item Jagt- oder Weidwercks-Ordnung/ de Ao. 1644. ander Hauptpunct von Jagten. §. 10. Fürſtl. Weymariſche de Ao. 1646. eod. & Fürſtl. Jeniſche. de Ao. 1674. eod.

THES. III.

Iſtud non rarò venit in controverſiam: Si pluribus competat venatio ſimultanea, Kuppel-Jagten: Utrum alter alterum antevenire, & jus hoc cæteris inſciis exercere liceat? quod negat *Speidel. notab. verb.* Jagt: cui conſentit *Gryphiander Oecon. leg. lib. I. cap.* XIIX. *n. 19. per l. 28. ff. de ſerv. præd. ult. Mobr. tr. de venat. L. 2. c. VII. n.* 17. Quod fallit tamen, ubi conſuetudo loci ſeu ſocio ſeu etiam Superiori dat facultatem præventionis, quam dicunt Vor-

Jagten/

Jagten/ veluti de Thuringia & ſpeciatim Comitatu Schvvartzburgico teſtatur *Dn. Fritſch. Tr. de Convenation Membr.* IV. *num.* 6.

THES. IV.

(2) Ex Feris, tanquàm objecto: Dividuntur quippe in Majores & Minores, nigricantes & rubricantes: & facultas occupandi, in Superiorem & Inferiorem; eo effectu, ut Principes plerumq; ſuperiorem ſibi ſervent. Cuicunque ergo tantum inferior competit, a majoribus abſtinebit. Omnis enim ferarum majorum ipſi erit illicita occupatio. Excipiuntur beluæ nocivæ, Raubthier/urſi, lupi; quorum occupatio & debellatio tanquàm neceſſaria, omnibus licita, *per c. 5. verſ. nemo retia, de pace tenend. IIF.* 27. Ubi quidem & apri exprimuntur; Verùm conſvetudo Germaniæ quoad eos contrarium ſervat. *Mobr. c. 2. num. 70.*

THES. V.

(3) Ex modo & ratione procedendi circa occupationē. Dum aliqui jure ſibi conceſsô quâvis ratione in propria perſonâ exercere impediti, vel etiam ex liberô arbitriô id aliis locare, & quidem citra ſpecialem Principis conceſſionem audent. Id enim eſt quod Sereniſſimus quondam Princeps, Dominus Erneſtus, beatiſſimæ recordationis peculiari quod Venatorium dicimus Edictô M DC XLII, d. 4. Martii promulgatô, & Ao. M DC LXVII. renovatô prohibuit, verbis: Solches auch/wenn er es vor ſich nicht gebrauchen könte oder wolte/ ohne ſonderliche deshalben erlangte Fürſtl. conceſſion andern zu verpachten nicht Macht haben ſoll. Alii, Ne feræ odoratum aut viſum de illis accipiant, vel ut ictus minus aberret, extra tractum ſibi permiſſum conſiſtunt atque exhinc eos petunt: quod eôdem reſcriptô prohibitum.

THES.

THES. VI.

(4) Ex Inſtrumento; ut quod admodùm immiſcet ſe Modo: Ac plerumque conjuncta ſunt, ut qui illicitè agit, illicitis quoque utatur inſtrumentis. Quæ ſuo cuiq; ferarum generi debent eſſe convenientia. Sic lepores ſclopetis petere aut retibus intricare ſolitum: Tricis autem implicare, contra mores venatorios eſt. *Ibid.* §. Es ſollen auch zum dritten alle Drat- und Haar-Schlingen ꝛc. Tum propter malum exemplum, quòd alii quibus nullum planè jus competit, diu ſub hoc modo latere queant. Tum quòd & in militia arma & modi inſidioſa, venenationes, globuli ſeu glandes infecti & ſim. improbentur.

THES. VII.

Ad inſtrumenta referuntur etiam Sclopeta: Non quòd ea habere in totum liceat nemini: Sed ob facilem abuſum. Ita autem diſtingvit Auguſtus Elector, Edictô *Kal. Oct. MD LV. rubr.* Büchſen; ut vulgò, atque nominatim Ruſticis, Pecudum paſtoribus & Opilionibus, omnis bombardarum geſtatio interdicta ſit; qoud in Reſcriptô Elect. Joh. Georg. I. de Ao. M DC XXVI. d. 10. Martii circa fin. & 1630. d. 12. Dec. circ. fin. repetitur. Ratio duplex additur: Intereſſe ſecuritatis publicæ, & Fiſci Ducalis; dum ejusmodi armati plerumque ab inſidiis ferarum ad homicidia deveniunt, Bannum autem ferinum devaſtant.

THES. VIII.

Quò faciunt Mandata des Büchſen tragens/ Jagens und Hetzens halber/ Joh. Georg. I. de Ao. MDC XXVII. 10. Martii. M DC XXIX, 8. April. & in ſpecie adverſus Nobilitatem comprateuſia Sceudicenſia inhabitantem de M DC XXX. d. 12. Dec. ubi geſtationi adjungitur Exploſio bombardarum: Cujus videl. ſtrepitus ac ſonus feras percellit, diſſipat, atque ad loca ſecuriora ſecedendum adigit.

THES

THES. IX.

Declaratur tamen hoc, pertinere ad hos, quibus armorum geſtatio non competit. Sic legimus in prælaudato Edicto venatorio Sereniſſimi quondam Ducis Erneſti de Ao. MDCXLII. §. zum andern. verb. daß keiner auſſer deme der es befugt/mit Büchſen bey Tag oder Nacht auf unſerer Wildbahn und Gehäge ſich betreten noch antreffen laſſ:/ & in Conſtitutione Venatorio-Foreſtali *Art. II. §. 4.* ibi: Wie ſie denn auch niemand der verdächtig wäre / und dem es nicht gebühret/mit Pirſchbüchſen in und ům die Wildbahn paßiren laſſen ſollen.

THES. X.

Excipiuntur itaque (1) in prædictis Reſcriptis Electoralibus PEREGRINANTES v. gr. in illo d. 18. April. MDCXXVI. pr. ibi: und niemand ſich darinnen/ auſſer reiſende Leute/und auf den gewöhnlichen Landſtraſſen ſich betreten laſſen ſolle/& mox: in unſern Wildbahnen/Gehöltzern und Gehegen/auſſer Wandersleute und der ordentlichen Landſtraſſen/im geringſten betreten laſſen. Quod in alteris *de Ao. MDCXXIX. d. 8. April.* tàm in *pr. quàm circ. fin.* nec non in illo ſpeciali ad compratenſia Sceudicenſia directo *d. 12. Decembr. MDC* XXX. modò non iisdem verbis repetitur.

THES. XI.

Ratio, quòd deceat, ut peregrinantes gaudeant ſecuritate; atque adeò, dum copiam Magiſtratûs ubique habere non poſſint, liceat ſe ipſos defendere, & ad minimùm territionis causâ bombardas geſtare. Ita & Pontifex Alexander III. in Concilio Lateranenſi conſtituit, ut juxta cæteros ibi expreſſos, euntes quoque ac redeuntes congruâ ſecuritate lætentur. *c. 2. X. de Treug. & pac.*

THES. XII.

Hoc tamen obſerves, Electorem commeatui ſuo ubiq; clauſulam declaratoriam adjeciſſe, dùm (1) viam modò re-

giam teneant, nec abindè ad ſaltûs & nemora dilabantur. Oportet enim peregrinantes viciſſim innoxium ſervare tranſitum. Id quod regulariter in ſalvis conductibus judicialibus illa ſolet innui clauſula, ſich gleitlich zu verhalten: E frangenti fidem fides frangatur eidem.

THES. XIII.

Deinde declaratur, atque adeò ampliatur ſuperior declaratio, ut ſi quem via per ſylvam ducat, bombardam ibi ne explodat. Es ſollen auch hierüber die Wandernden keine Büchſen auf den Gehöltzern abſchieſſen / und wo ſie iemand ſiehet oder ſchieſſen höret/ſollen ſie ihnen nachfolgen/dieſelben ſambt den Büchſen zu handen bringen. Ratio, quoniam ſi nullam feram feriant, eas tamen terrent, atque ad ſeceſſum & loca tutiora quærenda cauſantur. *Conſtit. Provinc. Elector. Auguſti M D LV. rubr.* Büchſen. *Corp. Jur. Sax. vol. 1. fol. m. 45.*

THES. XIV.

Excipiuntur etiã præallegatis Reſcriptis Electoralibus (2) Vaſalli jure Venationũ inveſtiti. (3) Alii, quibus ſeu ob perſonæ conditionem ſeu temporum circumſtantiarum, geſtatio armorum competit, vel commodè prohiberi nequit, v. gr. ad ſecuritatis publicæ tuitionem evocatis, *vid. verba Reſcripti M D C* XXVI. §. 1. Quibus Sereniſſimus quondam Dux Erneſtus Ordinatione Venatoriâ-foreſtali, *Art. II. §. 4.* addit Viatores ſeu Lictores Præfecturarum: verb. Doch iſt in deme unſern Landknechten und andern Dienern/ welche ſich Feindſchafft halber vorzuſehen / wenn die ſich unverdächtig halten nachzuſehen. Ubi tamen triplicem notes declarationem (1) dum metuant inſidias. (2) ſuſpicione vacent. (3) ut non jus ipſis datum, ſed tantùm connivendum ſit. add. Jagt-Patent. §. Zum andern; ubi: de Conducentibus von Convojern. Pariter ut Elector quoque declarat, in Vaſallis quidem, dum jure venationum polleant atque intra fines ſui diſtrictûs, cæteri in cancellis functionis & officii ſe teneant.

THES.

THES. XV.

(5) Ex TEMPORE. Jure Canon. Occupatio ferarum illicita eſt quæ fit in Quadrageſima & diebus jejuniorum. *can. 13. diſt. 86.* Ubi Reus fieri dicitur peccati, etiam eorum quos ſecum in ſocietatem & miniſterium trahit. *arg. can. 1. XXII. qv. 5. & cap. ſicut. 9. verſ. ſuper quo taliter, de Teſtib. l. 5. C. de Accuſ.* Ratio eſt procul dubio, quòd venatione voluptas quæratur, cum neglectu cultûs divini, qui eo tempore debeat eſſe ardentior. Excipitur ergò caſus Neceſſitatis, *arg. can. ſi nulla 15.* XXXIII. *qv. 8.* quod vel bellum tunc gerere liceat: Ne videamur velle Deum tentare, & ad miracula edenda neceſſitare.

THES. XVI.

Ad Jura profana quod attinet, ſunt & ibi tempora ferarum occupandarum, ſed aliter pro vulgaribus & minoribus, Aliter verò pro nobilioribus & majoribus definita. Priori quidem generi, ſecuritas intra tempus bacchanaliorum ac Feſtum Bartholomæi: Sed poſteriori, ante feſtum Trinitatis, & poſt diem Andreæ, procurata eſt, Mandatô venatoriô Vinarienſi *d. 9. Junii MDC XLVI.* §. erſtlichen. Poſterius hoc Sereniſſimus quondam Dux Erneſtus Edictô Venatoriô-foreſtali *d. 4. MDC* XLII. diſtinctius paulò ſeparavit, §. und begehren. verſ. diejenigen aber. ibi: Als ſo viel das rothe Wildpreth betrifft / von Trinitatis biß Andreæ, und was die Rehe und Sauen anlanget / von Trinit. biß Faſtnacht. Verùm etiam declarando hæc, ad proprium cujusque fundum reſtringit. Sic, ut cui in ſylvis Ducalibus jus hoc competit, non ulteriùs quàm à feſto Trinitatis ad Andreæ usque licitum ſit exercere.

THES. XVII.

Quod tempus, in Edicto venatorio-foreſtali *Art. II. §. 2. ſeqq.* ſanctè obſervare jubentur omnes: atque alia temporis obſervatio, prolificationis videl. ac fæturæ ferarum injungitur.

tur. Poſterius hoc in majoribus vocatur, die Kalbzeit. Unde tanquàm proverbium circumfertur: der Kalbzeit ihr Recht zu laſſen. In minoribus, v.g. Leporibus vocatur, die Setzzeit/ §. 6. *ibi:* von Faßnachten biß auf Bartholomæi/ in welcher Zeit die Haſen am meiſten ſetzen. Tempore autem prolificationis, quum feræ macræ eſſe ſolent, ratio œconomica ſuggerit, illis tum parcendum eſſe, quando minimô nobis erunt emolumentô. In volatilibus vocatur, die Brutzeit / *conf. Edict. Elect. Auguſti M D LV. Kal. Octobr. rubr.* Vogelfahen /*Corp. Jur. Sax. V. 1. fol. 49. & Elect. Joh. Georg. I.* Mandat wegen des Vogelfangs/ *24. Febr. MDCXXVI. fol. 166.*

Thes XVIII.

Alia denique Temporis determinatio ſecernitur, à ſtatu ſegetis & frumenti, bey naſſen Wetter/ wenn die Früchte im Felde ſtehen. ib. §. 5. Damnum enim & populatio infertur agris: Quemadmodum & Subditis operæ Venatoriæ ſic indicendæ, ne à magis neceſſariis meſſium occupationibus abſtrahantur, iniquiſſimis ac intolerabilibus ſervitiis premantur, ac alibi exinde fortunis ipſorum damna inferantur.

Thes. XIX.

Hinc benè proſpiciant Principes & Domini terrarum, qui jus foreſtæ ſeu bannum ſylveſtre habent, ut innoxios habeant ſaltûs, ne feræ in privatorum agros gregatim excurrant, & ſata magnô pauperum dolore & damnô depaſcantur. Sanè hoc caſu aut innumeram ferarum multitudinem eſſe extingvendam vel ſaltem diminuendam, aut damnum illatum, à Principe eſſe reſtituendum, Dd. quidam tradunt, quorum ſententia non ſolùm pia, ſed etiam juri & æquitati valdè videtur conformis.

Thes. XX.

(6) Ex LOCO. Non igitur ut olim, ita hodiè permiſſum eſt in alieno fundo venationes exercere, ſed ut ſunt certi

agrorum ac jurisdictionis fines, Ita & venationum aliorumque jurium certi termini ac limites, quos excedere minimè licet. Vaga namque venandi licentia, cum teſte experientiâ, infinitas rixas, turbas, vulnera ac cædes inter vicinos excitare ſoleat, meritò legibus coërcita penitusque ſublata fuit. Quàm maximè igitur laudanda eſt Conſtitutio Saxon. Electoralis, quâ cuivis jure venandi gaudenti, ſub pœnâ centum florenorum injungitur, ut intra terminos ſui diſtrictûs ac Jurisdictionis ſeſe contineat, nec in aliorum agris ac ſylvis venandi libertatem ſibi vindicet. Et hæc ſunt quæ non tàm pro materiæ dignitate, quàm pro ingenii tenuitate ventilationi publicæ exponere voluimus, quæ ut dextrè accipiantur obnixè rogamus ac contendimus.

S. D. G.

VEnator ſaltus haud fruſtrà luſtrat anhelans,
Irretita placet captaque multa fera.
Luſtraſti gnavus doctorum ſcripta virorum
Hactenus, hinc lætus præmia larga feres.

Nob. Dn. Autori ob varias animi dotes ſummopere æſtimando Auditori ſuo hactenus induſtrio l. mq. pon.

Joh. Bernhardus Frieſe/ Phil. & U. J. D. Præf. Jenenſ.

A MONSIEUR WACHS,

Candidat aux Droits ſur ſa Diſpute de la Chasse defendüe

Monſieur

Comme je m' intereſſe toujours de tous vos contentemens, par la part que j' y prens; ainſi je m' eſtime assés heureux, d' avoir rencontré une douce occaſion, de vous pouvoir têmoigner la grande eſtime que je vous ai. C' est puisque vous ſaites voir clairement les agreables fruits de vos vigilans & continuels ſoins, en mettant à preſent au public une marque de vos travaux d' eſprit, aussi ſçavante, qu' adroite. C' eſt pourquoi encorque j' eusse bien de quoi elever cet honette & loüable desſein ſelon ſes merites; toutesfois je me contenterai pour le preſent de ſouhaiter, que cela reussisse non ſeulement à votre contentement particulier, mais aussi au ſalut du public, à la gloire de Messieurs vos Parens & à la ſatisfaction de tous vos bons Amis; desqvels j' aurai l' honneur d' être ſans cesse

Monſieur

Jene ce 7 du Mars
l' An. 1691.

le plus fidel Serviteur

J. F. Hofmann.

Con-

COnſcendis Diva dum pulpita ſacra Themiſtos,
Ingeniique cies fertilioris opes,
Cerneris optatam ſtudiorum tangere metam.
Sint tibi per vitam proſpera cuncta precor.

ita plaudit

B. L. Saul.

SI tibi, Mome, fides, animus non noſcit amicum
Cor niſi ſub claro pectore vitra notent.
Vox animi ſpeculum; Vox eſt dicentis imago:
Ut radiis Titan, pectora voce patent,
Pandit lingva velut clavis certisſima mentem
Dux hæc per ſalebras pectoris eſſe poteſt.

Tu ergo Nobiliſſime ac Præſtantiſſime Domine Reſpondens ex his quoque verbis cognoſce animum Tibi deditiſſimum, quibus debitæ amicitiæ fidem ſolvere, ſimulq; de erudito ſpecimine gratulari voluit

Hans Friedrich à Kettenburg. Megapolit.

SI le Droit ét necessaire
Aus grands chasseurs d' aujourdui
L' on te verra bientot faire
Ce passe tems avec fruit,
Il ét vrai que ta ſcience
Penêtre tous les ſecrets,
Et decouvre en diligence
Ses ſolides interets
Quelle peut ſans ſe mêprendre

Exercer tous les emplois,
Quelle peut un jour te rendre
Illuſtre par tes explois.
Vas maintenant, bon chasseur!
Faire valoir ton courage
Montre par tout la valeur
De ton cors & de ton age.

par ſon tres humble & tres affectioné
Serviteur & Ami

Chretien Guillaume Billeb.

U*T Venatorem curſus durique laboris*
Tædia non capiunt, laqueis dum bruta reportat
Sic nec Te pigeat ſtudii, Clariſſime WACHSI,
Nam clari doctique Viri venabere Nomen.

Nobilisſimo Dno. Autori Commilitoni
& Fautori Honoratisſimo ſcribebat
Chriſtianus Friedericus Beerbalck,
Sanderslebia Anhaltinus.

JNdem Er/ werther Freund! auf den Catheder ſteiget/
Und die verbotne Jagt der Wilden Thiere zeiget/
So nimmet Er die Frucht von ſeiner Arbeit an/
Und baut ſich einen Weg nach Famens Roſen-Bahn/
Mich deucht ich ſehe ſchon/ wie Er den Lorber faſſet/
Und was nach Faulheit ſchmeckt/ mit munterm Geiſte haſſet/
Jch wünſch Jhm frohes Glück/ Gott: laß es wohl geſchehen/
Daß Er fein balde mög in ſeinem Dienſte ſtehen.

Mit dieſem wenigen wolte dem Herrn Reſpondenten
als ſeinem werthgeſchätzten Freunde und Stubengeſellen gratuliren
Joh. Günther Schindler/ Sondersh. Thur.

VA11521599.